



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. De Consensu matrimoniali simulato.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

Q U Æ S T I O IV.

De consensu, qui est causa efficiens vinculi matrimonialis.

PLura diximus art. 1. quæstionis primæ de interno consensu requisito ad validitatem matrimonii: Quæ vero spectant ad consensum internum fictum, colligi plurimum possunt ex iis, quæ diximus ibidem art. 2. cum de promissione ficta matrimonii. Similiter quæ spectant ad consensum externum, seu ad signa externa, quibus exprimi debet internus consensus, qui est causa efficiens vinculi maritalis, colligi plurimum etiam possunt ex iis, quæ diximus art. 4. cum de signis, quibus contrahuntur Sponsalia: Plura etiam spectantia ad consensum coactum colligi possunt ex iis, quæ diximus quæst. 2. art. 8. cum de metu dissolvente Sponsalia. Hic addenda, quæ ulterius inquiri debent. Et primo quidem de consensu Matrimoniali simulato. Secundo de externo. Tertio de coacto. Quarto de clandestino simpliciter, quod scilicet fit sine Parocho, & testibus. Quinto de clandestino secundum quid, videlicet quod fit sine præviis proclamationibus; ac demum de consensu conditionato.

ARTICULUS I.

De Consensu matrimoniali simulato.

- I. *Qui fide matrimonium contrahit, secundum se peccat, tum contra virtutem Religionis sacrilege, tum contra iustitiam: teneturque deposita simulatione contractum ratificare.*
- II. *Aliquando tamen potest alius viis damnum compensari.*
- III. *Si quis post fictum matrimonium cum Berta, vere cum alia contrahat, & censuris adigatur, ut Berta adhareat, pati potius debet excommunicationem, quam ad illam accedere.*
- IV. *Urgente metu gravi potest quidem simulari contractus matrimonialis, quin per hoc simuletur Sacramentum matrimonii.*
- V. *At simulari non potest, si detur impedimentum dirimens jure natura.*

I. **C**UM requiratur consensus verus signo externo expressus, & liber a coactione, tam ad contractum matrimonii, quam ad contractum sponsalium, ideo omiſſis iis, quæ ad hujusmodi consensum pertinent, & communia sunt utrique contractui (quæ abunde explicavimus in locis citatis agentes de sponsalibus) quarimus hic, quæ speciatim ad consensum matrimoniale spectant, agendo prius de consensu simulato.

Quæritur itaque primo; Ad quid teneatur, qui simulato animo, & non vero consensu contraxit matrimonium? Respondeo, certum esse, quod sine vero consensu contractus matrimonialis, atque adeo Sacramentum sit irritum; & consequenter qui simulato animo sine justa causa contraxit, peccavit mortaliter, tum peccato sacrilegii contra reverentiam Sacramento debitam, tum etiam peccato injustitiæ ob injuriam, quam alteri bona fide contrahenti intulit: Unde tenetur ad

com-

compensandum damnum, quod alteri provenit. Hæc tamen compensatio plerumque alia via secundum æqualitatem fieri non potest, quam ut deposita simulatione, vero apud animum elicitio consensu ratificet ille priorem contractum: Etenim quilibet contractus (sicut etiam professio religiosa) si sint irrita ob defectum interni consensus, ratificantur per hoc solum, quod ponatur internus consensus, dummodo alter contrahens actu, vel virtute consensum retineat, ut docet Sanch. lib. 2. disp. 32.

II. Aliquando tamen, ut notant Vasq.; Henr.; Silvest. apud Laym. cap. 6., deceptor non obligatur ad ratificandum priorem contractum, seu ad matrimonium revalidandum, sed alia via potest damnum refarcire, in his præsertim casibus; Primo, si decepta falso iactavit se esse virginem; tunc enim deceptio unius cum deceptioe alterius compensatur; Secundo, si ex tali matrimonio graves rixæ, scandala, & infelices exitus timeantur; Tertio, si decepta, cognita deceptioe, aliam damni compensationem sponte recipiat; Quarto, si deceptor aliud postea matrimonium cum altera vero consensu contraxit; Quinto, si deceptor sit longe superioris conditionis, quam decepta, etiamsi spe matrimonii copulam extorserit, ut ostendimus quæst. 1. art. 1. cum Sanch. contra Laym.; quia iustitia obligat tantum ad ponendum æquale; in casu autem nostro copula præstita sub spe matrimonii a scæmina longe inferioris conditionis non habet æqualitatem cum matrimonio; ergo deceptor non tenetur ad matrimonium, sed potest damnum alia via compensare.

III. Difficultas est; Quid facere debeat, qui simulato animo prius contraxit cum Berta, & deinde vero consensu contraxit secundum matrimonium cum Teresa, si ab Ecclesia sub

cenuris ad prius matrimonium compellatur? Etenim Ecclesia fictionem alleganti, etiam cum juramento, fidem facile præbere non debet, nisi deceptor det clarissima indicia deceptionis ex cap. *Per tuas de probationibus*; ubi dicitur: neque juranti credendum esse adversus ea, quæ ante asseveraverat.

Respondeo, quod si nulla ratione effugere potest, quominus relicta Teresa vera uxore, ad Bertam uxorem putativam adhæreat, potest quidem cum hac aliquando cohabitare, ut Ecclesiæ præcepto satisfaciatur; at cum ea copulam habere nullatenus potest; committeret enim adulterium, ad quod procul dubio obligari non potest: Unde potius deberet humiliter sustinere excommunicationem secundum forum externum, quam in copulam consentire, aut exponere se periculo proximo labendi in illam.

IV. Quæritur secundo; An liceat iusta de causa, puta ex metu gravi, simulare consensum in contractu matrimoniali, postquam damnata est ab Innoc. XI. prop. 29. dicens. *Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.*

Respondeo, juxta doctrinam Pal., Con. disp. 28. dub. 3., Perez, Lumbier, & aliorum contra Joan. Sanc. in selectis quæst. disp. 35. (ut fuscè in expositione dictæ thesè explicavimus) id licere. Ratio est, quia cum Christus Dominus elevaverit ad rationem Sacramenti contractum matrimonialem non immutando leges contractus, sequitur, quod sicuti juxta leges contractuum possit in aliis contractibus simulari consensus, urgente metu gravi, possit pariter, urgente metu gravi simulari consensus in contractu matrimoniali. Neque enim hoc esset simulare administrationem Sacramenti; Quod damnatur ab Innoc. XI. Nam simulare administrationem Sacramenti,

ti, est ponere materiam, & formam Sacramenti sine intentione administrandi illud; ut si serio ponatur ablutio, & proferatur forma baptismi sine intentione baptizandi; At in casu nostro si ponitur consensus fictus, eo ipso non ponitur materia, & forma Sacramenti matrimonii; & consequenter non simulatur administratio Sacramenti, sed solum materia, & forma, nempe verus contractus simulatur. Præterea qui administrat, verbi gratia, baptismum, certe in persona Dei baptizat; unde si fingat, sacrilegium committit contra reverentiam Deo, & Sacramentis debitam: Contra vero; Minister matrimonii non sustinet immediate personam Christi dispensantis sua merita, sed sustinet personam privatam celebrantem contractum, cui per accidens conjuncta est a Christo participatio Sacramenti; unde si metu urgente simulatur contractus, non fingit, se sacrilege dispensare merita Christi, sed solum simulatur verum contractum, quo non posito, materia, & forma Sacramenti non ponitur.

V. Addo tamen cum Perez, & Hurt. disp. 12. distic. 4., quod ratione metus gravis non liceat simulare contractum matrimoniale, quando inter contrahentes intercedit impedimentum jure naturæ dirimens, ut est impotentia perpetua, consanguinitas in primo gradu, &c. Ratio est, quia non licet simulare, quod est intrinsece malum; Exempli gratia, non licet ratione metus simulare adorationem idoli, aut juramentum de malo patrandò: Quod si impedimentum inter contrahentes sit solum impediens, ut est votum simplex castitatis, sponsalia præcedentia, &c. licitum est per metum gravem simulare contractum matrimoniale; nam non est intrinsece malum in tali casu id, quod simulatur; cum nec sponsalia obligent ad

non contrahendum cum alia, metu gravi interveniente; nec votum illud obliget ad castitatem, interveniente eodem metu; quia nemo intentionem habet obligandi se ad voti observationem cum periculo mortis, aut gravis damni. Denique si impedimentum sit dirimens jure Ecclesiastico, adhuc poterit ex gravi causa simulari contractus, ut docent Pal., & Sanch., quia Ecclesia non obligat ad non contrahendum cum tanto incommodo. Hac autem satis superque sint dicta de consensu simulato.

ARTICULUS II.

De Signis externis expressivis consensuum matrimonialis.

I. *Quamvis Matrimonium sit Sacramentum, adhuc sine verbis celebrari potest, ut quilibet alius contractus.*

II. *Quanam soleant esse signa externa certa experimentia consensum internum?*

III. *Etiam taciturnitas potest aliquando esse certum signum interni consensus.*

IV. *Parentes neque possunt cogere filios ad matrimonium, neque illud sunt iusta causa impedire.*

V. *Filii quamvis non teneantur hac in re sequi consilium Parentum, teneantur tamen ob reverentiam debitam illud petere.*

VI. *Ut Procurator valide matrimonium contrahat pro Principali, quatuor requirantur.*

VII. *Si Principalis tempore contractus dormiat, adhuc fructuose Sacramentum recipit, si sit in gratia.*

VIII. *Si Principalis tempore contractus per Procuratorem sit ebrius, adhuc valide contrahit. Imo juxta communioem, etiam si tunc sit amens.*

IX. *Quid si Principalis det filium mar-*
da-